









1768.

1. Klotzjus, Christianus Adolphus: Nonnulla de vi consuetudinis.
2. Millerus, Joh. Pehr. Lud. De conjunctione animi cum corpore physica.
3. Schulze, Franc. Ludov.: De praecipua nominum matum quae regum popularum et arbitrorum vocantur, utilitate.
4. Strömberg, Johannes Pitericus: De harmonica praestabilitate verae ratione, inventore et practico.

1769

1. Heislerus, Philippus Theobaldus: De expensis criminalibus in processu inquisitionis.
2. Klotzjus, Christianus Adolphus: De vera indole historiae litterariae.

1770.

1. Jaenker, Franc. Christianus: Comparatio demonstrationis Cartesianae pro existentia Dei cum illa, quae Anselmus Cantuariensis usus est.

2. [Heisler, Phil. Fac.]: De decimis hebraeorum
- 3<sup>4. et</sup> = Heisler, Philippus Jacobus: De commendatore teutonico, patrono ecclesiae, quae commendaturae incorporata est, non vulgaris. 2 Vindob. 1470: 1476
4. Klotzius, Christianus Augustus: De magistris universitatis et illustrantibus nobilitatem dignitatibus utriusque imperii
5. Klotzius, Christianus Augustus: De iuramentis per gladium
- 6<sup>9. et</sup> = Nettelbladt, Daniel: De feudis decimarum quoad pertinentias et novales.
7. Nettelbladt, Daniel: De iuribus et obligationibus ex feudorum oblatione descendentes.
- 8<sup>10. et</sup> = Nettelbladt, Daniel: De refusione debitorum feudatarii solutorum

9. Haesell, Joannes Augustus: In orationem Christi Mathaei  
C. 18. b. 229. De offendendo contemnerique nullis mini-  
morum, qui credunt in eum.

10. Semler, Joannes Salomon: De jure principum circa  
sacra in primis Germaniae praesertim ex monumentis  
seculi XI. Derivata.

1771.

1. Biedermann, Franzott Andreas: De jure reformandi  
territorialis ad tres religiones in imperio A. 4. recep-  
tas hanc restricta et verba finitiva est 7. P. 10.

2. Boehmerus, Philippus Josephus: Essentialis inangredien-  
sistens causas infantitiae impunitae

3. Carrach, Joannes Tobias: De privilegiis circa commercia.

4. Haussen, Carolus Renatus: Origo atque vicissitudines  
suffragii liberarum S. R. I. civitatum in comitibus.  
ex rerum gestarum monumentis illustratae.

5. Klotz, Christ. Adelphus : De apificiorum dignitate  
inani et noxia
6. Klotz, Christ. Adelphus : De barbaris in aula  
Byzantina militibus.
7. König, Henricus Joannes Vlls : De vicissitudinibus  
juris Romani circa constitutiones inter vim et  
usum.
8. Marsten, Georgius Samuel : De validitate testamenti  
non rite oblato.
9. Mangeldorfer, Paul. Eberhard : De consecrationis  
origine non Germanica, eorumque indole nec  
ac natura. ~~atque~~



DE  
1768 3 27 6  
PRAECIPVA  
NUMISMATVM QVAE REGVM  
POPVLORVM ET VRBIVM  
VOCANTVR, VTILITATE

---

P R O L V S I O

QVAM

PRAELECTIONIBVS  
IN VSVM EORVM  
QVI REI NUMMARIAE VETERIS AMORE

TENENTVR

AUCTORITATE PVBLICA INSTITVENDIS

PRAEMITTIT

IOANNES LVDOV. SCHVLZE

GR. ET OO. LL. P. P. O.

---

HALAE,  
TYPIS BEYERIANIS MDCCLXVIII.

BR A A C I P V A  
N I M B U R G I A N O R U M  
S T R A S S E N N U M M E R N  
V O C A T I V E T A B U L A

F R O L V S I O

FRANCOFURTI  
IN  
CIVITATE TYRICA INSTITUTUS  
JOHANNES LYDVS SCHNEIDER

HALAE

1785



Verisimum est quod aiunt, quaecunque scientiam vel artem liberali studio excultam mirifice prodesse, & vim habere, quæ valeat non modo ad ingenium acuendum, sed etiam ad mores formandos. Hanc egregiam laudem in primis sibi vindicant artes & disciplinæ, quæ cum ad humanitatem ducant, ab ea nomen hæcæ sunt. Inter has iure suo locum tuetur Antiquitatis studium, quod vilissimum æque ac iucundissimum merito dicunt, quotquot eius dignitati & suavitati æquum statuunt pretium, quorum haud exiguum hac nostra ætate & in Germania nostra esse numerum, ut par est, lætamur. Sunt quidem, qui tunc demum



sapere sibi videntur, si ista omnia quorum cognitionem sibi tribuunt, magnisque, ut fieri solet, exornant laudibus, quasi ex se ipsis euoluisse gloriari possint: sed abundant isti suo sensu, sciantque, in infimo elegantioris eruditionis gradu constitutos esse eos, quibus fordent antiqua, eaque inprimis venusta Græciæ & Italiae monumenta, a quibus verustissimorum temporum memoria vnice est repetenda. Hæc qui ignorat, aut eorum non afficitur dulcedine, nec illum ab omnibus liberalioris disciplinæ præsidii destitutum, immo veræ pulchritudinis sensus plane expertem putauerim. Quæ autem iam dicta sunt, non modo de præstantissimis Græcorum Romanorumque in omni artis & eruditionis genere scriptis, sed de omnibus in vniuersum græcæ & romanæ Antiquitatis monumentis, & de nummaria inprimis supellectile valent.

Quam dignum est Viris eruditis spectaculum, illustria Latii Græciæque Heroum facta, Deorum Dearumque imagines & symbola, de populis victis reportata trophæa, Ciuium seruatorum gratam in nummis expressam mentem, splendorum ædificiorum superba rudera, totque picturæ & sculpturæ exempla, dignissima quæ ad posteros transferrentur, vno quasi intuitu lustrare, mirari & exosculari! Hæc ut mirifice vultum animumque demulcent, ita quoque egregie adiuuant omne studiorum genus, ita ut dici non possit, quantum emolumenti ad omnem scientiarum ambitum redundet. Hanc optimarum artium magistram, rei nummarie antiquæ scientiam puto, calleat necesse est, quisquis orbis antiqui certam

&

& omnibus numeris absolutam cupit cognitionem; quisquis ad Fa-  
storum Historicorumque romanorum & graecorum lacunas supplendas  
laudabili fertur impetu; quisquis eorum quae ad rei publicae salutem  
muniendam faciunt, & legum praecipue, monumentis delectatur;  
quisquis nefandae Gentilium superstitionis latissimos fines perspectos  
habere vult; quisquis artis salutaris primos quasi natales, aut, si  
malueris, Parentes, adire & vt ita dicam intueri haud dedignatur;  
quisquis denique, vt paucis multa complectar, solidae & elegantis  
eruditionis, non dicam superbum, sed immortale nomen in votis  
habet. Iucundum sane esset negotium, haec omnia pluribus expo-  
nere & exemplis illustrare, nisi otium iamdudum nobis fecisset  
EZECH. SPANHEMVS Vir eruditionis fama etiam post fata celeberrimus,  
qui eximio isto opere, cui Titulum fecit. Dissertationes de  
praestantia & vsu Numismatum, immortaliter de orbe erudito me-  
ritus est. Nolumus itaque ea repetere quae satis copiose & pro-  
more suo erudite iam proposuit Vir laudatissimus. Id potius agen-  
dum nobis fuissemus, vt ostendamus, quanta imprimis sit utilitas  
numismatum eorum quae Regum & Urbium dici consueuerunt.

Quinque solent constitui nummorum veterum ordines. Primus  
exhibet nummos Regum, vt Aegypti, Macedoniae, Syriae, caeter. Al-  
ter complectitur numismata urbium populorumque, siue florente ro-  
mano imperio siue ante eius tempora percussa fuerint, siue latinam  
siue graecam habeant inscriptionem. Tertium ordinem faciunt illi  
nummi qui Familiarum romanarum seu consulares dicuntur. Quar-

tum constituunt nummi Augustorum, Augustarum, Caesarumque nec non eorum, qui, cum minus legitime fasces imperii tenerent, Tyranni nominari solent. Quintum denique ordinem faciunt nummi Deorum Dearumque, quibus etiam isti adiungi possunt, qui Heroum aliorumque vel eruditione vel meritis de patria acquisitis illustrium Personarum vultum aut egregia facta nobis ob oculos ponunt. (\*) Horum omnium etsi insignem vilitatem esse fateamur, maiores tamen vni alteriue ordini deberi laudes existimamus. Sunt inter has veteris pecuniæ species; quæ præcipuam vilitatem in sup- plendis Scriptorum Historiæ augustæ Annalibus præstant; aliæ in- primis Geographiæ veteris studium adiuuant; aliæ denique Mytho- logiæ illustrandæ præcipue inferuiunt, & quæ sunt reliqua nomina, quibus hæc vel illa nummorum species præ aliis se commendat. Quæ cum ita sint, difficile est, e tanto præstantissimorum Antiquitatis monumentorum numero ea, quæ reliquis omnibus præstare videan- tur, eligere, & hunc vel illum ordinem, qui nobilissimus dici me- reatur, ponere. Hoc tamen encomio, me quidem iudice, illi in- primis exornandi sunt nummi, qui non vnâ alteramue tantum præ-

(\*) Has classes constituerunt ER. FRÖLICH quatuor Tentam. in re num- maria vet. p. 1. & EVCH. GOTTL. RINK de vet. numism. potentia & Qualitate p. 120. Alii sex, alii plures fecerunt ordines. Vid. b. Parentis Anleitung zur älteren Münzwissenschaft p. 39. & ER. FRÖLICH Notitiam elementarem Numismatum antiquorum illo- rum quæ Vibium liberarum, Regum & Principum ac Personarum illustrium dicuntur, p. 7. sqq.



præstant vtilitatem, sed quibus commendandis plura simul inferuunt nomina. Hæc autem, si quid video, est præcipua laus, quæ nummis Regum & Urbium iure debetur. Hi enim, etsi minori quam consulares alique, numero, ad nostra tempora peruenerint, maiorem tamen quam vlla alia nummorum species, habent dignitatem & præstantiam: utpote quibus carere non possumus, siue ad Historiam veterem, siue ad Chronologiam, siue ad Geographiam, siue ad Mythologiam respiciamus. Et hæc quidem, ne quid temere statuisse videamur, pluribus nunc illustranda erunt.

Antiquiorum temporum Historiam præcipue adiuuant numismata Regum ac populorum, inter quos multi sunt, quorum ne nomina quidem sciremus, nisi eorum memoriam nummi seruassent. Horum enim fide confirmantur partim, partim suppleuntur pauca ista quæ in Annalibus veterum consignata sunt. Parum feliciter itaque in hoc literarum genere versabitur, qui his ducibus caruerit, quibus solis series Regum restaurari, populorum origines doceri, ciuitatumque illustrium decora ab obliuione vindicari possunt. Quam multa proinde debemus studio VAILLANTII, NORISII, SPANHEMII, HARDVINI, BEGERI, HAYMII, PARVTÆ aliorumque Virorum celeberrimorum, qui omnem dederunt operam, ut his adhibitis subsidiis tenebras dispellerent, quibus pars ista Historiæ veteris nobilissima erat inuoluta! Exemplum est imitatione dignissimum, quod laudatissimi isti Viri nobis reliquerunt. Nec defuerunt qui in via quam isti aperuerant cum felici successu progredere, inter quos CARY,

GE-



GENEBRIER, & nostris temporibus Clar. FELLERIN cum aliis eminent.  
 Horum coniunctis studiis effectum est, ut de serie Regum Aegypti,  
 Asiae, Bospori Cimmerii, Epiri, Bithyniae, Cappadociae, Ciliciae,  
 Macedoniae, Parthiae, Armeniae, Syriae, Siciliae, Thraciae &c.  
 suppleta, omniumque horum regnorum Historia egregie illustrata  
 nobis nunc gratulari liceat. Graecarum in primis urbium numismata  
 egregiam hac in re praestiterunt utilitatem, utpote quae non modo  
 Regum sed etiam regnorum urbiumque nomina plerumque exhibent.  
 Praeterea etiam in nummis Urbium saepius expressa videmus nomina  
 & symbola eorum quibus suam debebant vel originem vel restaura-  
 tionem. Innumera huius generis documenta exstant inter nummos  
 urbium istarum, quae sub Augustis coloniae factae sunt. Hae enim  
 originem suam in auersa nummorum parte per iugum bouum cui  
 adstat colonus, aut per lupae Romulo & Remo vbera praebentis symbo-  
 lum, prodere consueverunt. Subinde etiam per nomina quae his  
 illius urbibus in rei memoratu dignissima memoriam data erant,  
 natales suos indicabant. Sic vrbes fuisse nouimus, quae ab Aelio  
 Hadriano Imperatore *Aeliae*, a Iulio Caesare *Juliae*, ab Antonino Ca-  
 racalla *antoninianae* &c. dicebantur. Praeter haec cognomina occur-  
 runt quoque in nummis urbium noua nomina, quae prioribus reli-  
 ctis in honorem huius vel illius Imperatoris ipsis data erant. Huius  
 generis exempla nobis dant nummi Hadrianopolitarum, seu incola-  
 rum vrbs Orestae in Thracia sitae, quae vrbs teste AEL. LAMPRIDIO  
 in Helagab. nomen suum mutauit in honorem Hadriani Augusti.

Sol-





Sollemnis etiam in urbium græcarum nummis est vox Κτισις, quæ de Urbium conditoribus vel restauratoribus sumi solet, ut SPANHEMUS in Diss. VIII. de Præst. & usu Numismatum erudite exposuit. At vero non originem tantum, sed alia etiam quæ ad urbium populorumque Historiam eruendam apprime faciunt, huius generis numismata nos docent. Huc referenda sunt quæ de politico urbium populorumque statu & regimine in nummis expressa sunt testimonia. Horum enim fide constat, quæ olim vrbes fuerint liberæ, ita ut suis gauderent legibus ac iuribus; quod in græcarum urbium nummis per αὐτόνομος & ἐλευθερία indicatur; quæ fuerint municipia & metropoles, & quænam fuerit in coloniis regendis imperii forma, quam ex Duumvirorum & Decurionum nominibus perspicimus. Præterea quoque ex nummis discimus, quæ vrbes amicitia vinculis arctius coniunctæ fuerint, quo spectat concordia laus in hisce Antiquitatis monumentis satis frequens. Sic in Ephesiorum, Pergamenorum & Sardonorum nummis haud raro deprehendimus inscriptionem ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ, & ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΕΦΕΣΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. Immo tredecim foedere iunctas vrbes Rhodiorum celebrat nummus ille quem ER. FRÖLICH quatuor Tentam. &c. p. 51. commemorat, cuius hæc est inscriptio ΚΟΙΝΟΝ. ΙΓ. ΠΟΛΙΩΝ. *Commune tredecim urbium.* (\*) Nec minus ad illu-

B

stran-

(\*) Vrbes amicitia inter se iunctæ in nummis quibusdam græcis *Soroves* dicuntur. Tales existant Caracallæ nummi apud *Arigonium*, cum inscriptione



strandam urbium populorumque Historiam utiles sunt nummi isti, qui dignitatum & Privilegiorum, quibus hæc vel illa vrbs præ reliquis gauisa est, memoriam ad nos transtulerunt. De titulo Metropoleos in nummis satis frequente nihil iam commemorabimus, alia sunt digniora nomina, quæ si etiam ab omni Historicorum testimonio destitueremur, abunde docere possent, quantus fuerit huius illiusve urbis splendor. Ita Ephesum in nummis πρώτην Ἀσίας, *primam Asiae* urbem celebrari nouimus. Immo Sardis vrbs Lydiæ in nummis splendidum hunc gerit titulum, ΑCΙΑC. ΑΥΔΙΑC. ΕΛΛΑΔΟC. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC, *Asiae, Lydiæ, Helladis prima Metropolis*. Aliæ vrbes ἐνδοξου, λαμπροτάτης, μεγίστης & huius generis similibus Titulis, etsi nonnunquam nimis superbis, suam posteris commendarunt memoriam. Ἰερῶν, Ἀσύλου & Νεωκόρου titulis eae insignebantur vrbes, quæ sollemnem huius vel illius Numinis cultum sibi vindicabant, quod imprimis ex Ephesium nummis perspicitur. Occurrit etiam subinde in nummis Ναυαρχίδος seu *Classicæ urbis* titulus quo illæ utebantur ciuitates quæ præsidariam classem habebant. Vltimo denique loco horum numismatum præcipuam in Historia illustranda vtilitatem ex eo apparere putamus, quia ex iis ludorum & Certaminum, siue in Deorum siue in Imperatorum honorem celebra-

bra-  
 scriptione ΠΑΡΤΕΙΝΟΠΟΛΙΣ & ΔΟΜΗΝΟΠΟΛΙΣ ΑΔΕΛΦΑΙ.  
 Simili fere ratione populi inter se propius iuncti passim *Fratres*  
 in nummis vocantur, qualis est inscriptio ista ΑΔΕΛΦΩΝ ΔΗΜΩΝ  
 in nummo quodam qui aram Seleucidarum exprimit, apud ER.  
 FÄBLICH Notit. element. &c. p. 127.

bratorum nomina plenius quam ex vilo veterum scriptorum discimus. Videmus in illis expressa nomina & symbola ludorum *Actiorum* & *Pythiorum*, Apollini sacrorum; *Cerealium*, Cereri; *Eliorum* & *Olympiorum*, Ioui; *Isthmiorum*, Neptuno; *Αντωλεωv*, Latonæ; *Heraciorum* & *Nemeatorum*, Herculi consecratorum; immo & eorum qui in honorem Imperatorum, vt Hadriani, Commodi, Traiani, aliorumque instituti & nomine ab illis petito ornati erant. Paucia adhuc attingimus insignem quem nummi vrbium populorumque nobis exhibent vtilitatem in cognoscendis veterum siue ritibus siue externis signis & ornamentis. Gratum hoc esse debet omnibus qui Antiquitatis delectantur studio, & qui sciunt, quantum emolumentum inde ad explicandos Scriptores veteres redundet. Prodest & delectat, si ea quae de vestitu, de armorum genere, & ornatu huius illiusque gentis ab antiquissimis Scriptoribus relata legimus, nummorum testimonio confirmata videmus & quasi oculis lustramus. Ita in nummis regum Armeniae mitram, in Arfacidarum siue Parthiae regum nummis, eisdem siue tiaram, & vestem quae Candys vocatur, humeros tegentem; in nummis quorundam Persiae regum orbiculum stellis & circulis distinctum; in Alexandri M. eiusque aemulorum nummis caput cornu armatum deprehendimus. Quosdam videmus barbam aluisse, alios neglexisse. Nonnullas gentes hasta, gladio, lorica, galea & scuto, alias arcu, fundis, perticis, bipennibus &c. vras fuisse itidem loquuntur nummi populorum & vrbium. Sed iusto diutius huic argumento immorari videremur, si plura addere vellemus.



Historia autem si a Chronologia destituitur, anima quasi caret. Quid enim iuuat, res gestas memoria complecti, nisi etiam annorum ordinem scias ac seriem? nisi Aerae cuiuscunque initium rite determinare, eiusque ad alias Epochas relationem acute discernere noueris? Quae cum ita sint, tunc demum ad Historiam illustrandam cum fructu adhiberi poterunt numismata Regum ac populorum, si Aeram cuiuscunque gentis & urbis distinguere scieris. Hoc autem non caret difficultatibus. Constat enim, varias olim obtinuisse aeras, quarum vnaquaeque suum habet determinatum initium, etsi de nonnullis diuersae sint Eruditorum sententiae. Summas hac in re laudes debemus VAILLANTIO & NORISIO, nec HARDYNI plane contemnenda sunt studia, quorum tamen maior esse potuisset praestantia, si ingenio suo minus indulgisset. Laudabilem etiam in hoc argumento perdifficili illustrando operam nauauit ER. FRÖLICH tum in Diff. quae est prima inter quatuor Tentamina in re numaria vetere, tum in Notitia elementari caet. p. 39. seqq. Dolendum quidem est, non omnes urbium nummos aeram habere expressam, nec eandem semper in vnius eiusdemque urbis numismatibus obtinere Epocham: hoc tamen non obstat, quominus huic nummorum generi praecipuam in restituendo temporum rerumque gestarum ordine utilitatem iure tribuamus. Illi enim qui habent aeram adscriptam, quorum maximus est numerus, multum faciunt ad Historiam, inprimis Augustorum, illustrandam & errores ab antiquioribus rerum romanarum Scriptoribus subiinde commissos feliciter emen-

emendandos. Quia enim, ut a MORELLIO in Specim. rei numariae antiquae iam obseruatum est, in multis Imperatorum romanorum nummis nec Consulatus nec potestas tribunitia, nec imperii annus exprimitur, (quippe cum post Gallieni tempora vix vlla Tribunitiae potestatis in nummis fiat mentio,) praetereaque inter annos illos in quibus Consulatus munere functi sunt Imperatores, aliquot anni intercesserunt, sapius incerti essemus, quo anno hoc vel illud gestum sit, nisi urbium populorumque nummi qui notas temporis adscriptas habent, facem nobis praerferrent. Ita ex annorum numeris in nummis Viminacii, Colonia in Moesia sita, adpositis, multa eruuntur, quae ad recte digerendos annos imperii Gordiani & Philippi vtiliter adhiberi possunt. Praeterea habemus numismata urbium Asiae, quae per aliquot saecula continuantur, sique egregiam praestant vtilitatem. Nummi quoque urbium graecarum adiuuant chronologiam per literas numerales voci *Νεωδωρον*, de cuius sensu iam dictum est, adpositas. Exstant enim huius ordinis nummi satis frequentes, qui Inscriptionem habent ΔΙC, vel ΤΡΙC vel ΤΕΤΡΑΚΙC ΝΕΩΚ. vnde colligitur, urbibus istis sub Imperatore eo ad cuius tempora se referunt, iteratis vicibus curam Sacrorum fuisse commissam. Et in hisce quidem nummis urbium praeter istam temporis notam non addi solet annorum numerus, qui in reliquis per literas graecas adposito plerumque per scribendi compendium nomine *Ετους* vel *Λοκάδαντος*,\* inter-

\* Significationem huius vocis explicat MACROBIUS Saturn. lib. 1. c. 17.  
Annum, inquit, *vetustissimi Graecorum λοκάδαντος* appellabant, τὸν ἀπὸ



interdum etiam solo numero indicatur. Annorum vero números vt recte interpretemur, exacta opus est ærarum s. Epocharum scientia, vt earum non modo initium sed relationem quoque ad Aeram communem probe perspiciamus. Omnes istæ Epochæ reuocari solent vel ad annos Romæ conditæ vel ad annos ante Christum natum. Vt itaque vno quasi intuitu eas lustrare liceat, haud alienum vt puto, erit ab instituto nostro, eas tantum Epochas quæ frequentissimæ sunt, recensere, simulque paucis ostendere, quæ sit earum ad Aeram communem relatio. *Seleucidarum Aera*, in Regum Syriæ, Asiæ & Arabiæ, nec non in multarum ciuitatum nummis obuia, initium ducit a Seleuci I. Syriæ regis imperio, & incidit in annum V. C. 442. qui est annus ante C. N. 312. *Pompejana Epochæ*, in nummis vrbiū quarundam adhibita, incipit ab anno V. C. 691. quo Pompeius M. imperii romani fines in Syria ampliores fecit: hæc responderet anno ante C. N. 63. Huic proxima est *Aera cesariæ seu antoniana*, in nummis vrbiū etiam frequens, quæ incidit in annum V. C. 705. aut secundum

περὶ λύκου, id est, Sole, βαϊνόμενον καὶ μετρούμενον. Λύκου autem solem vocari, etiam Lycopolitana Thebaïkos ciuitas testimonio est: quæ pari religione Apollinem itemque lupum, hoc est, λύκου, colit, in vtroque solem venerans: quod hoc animal rapit & consumit omnia, in modum solis ac plurimum oculorum acie cernens, tenebras nobis euincit. Alii aliter de nominis istius origine & significatione statuerunt, quorum sententias eleganter, vt solet, recensuit Vir Illustr. & de me multis nominibus meritis, SCHLÆGERVS in Commentar. de numo Hadriani plumbeo & Gemma Isiaca, c. 9.

dum alios 706. sicque respondet anno ante C. N. 48. vel 49. quo tempore Cæsar & Antonius ab hostibus suis victoriam reportarunt. *Aera æthiaca* initium reperit ab anno V. C. 723. seu ante C. N. 31. quo Antonius victas dedit manus. *Lagidarum* s. Aegypti regum *Aera* incipit ab anno V. C. 433. siue ante C. N. 321. *Arsacidarum* seu Parthiæ regum *Epocha* plerumque ab anno V. C. 498. qui est annus ante C. N. 256. inchoatur. *Aera* denique *Regum Ponti & Bospori cimmerii* initium ducit ab anno V. C. 457. seu ante C. N. 297.

Ad orbis antiqui notitiam seu Geographiam veterem illustrandam multum etiam conferunt numismata Regum & Populorum. Non de illis iam dicemus, quæ ad politicum statum pertinent, quæque ad mores & consuetudines Veterum spectant: de his enim quia rectius ad vniuersam Historiam antiquam referuntur, iam supra dictum est. Cum itaque hoc loco de præcipua horum nummorum ad Geographiam veterem vtilitate nobis sermo sit, ea imprimis attingenda erunt, quæ ad situm urbium, ad soli fertilitatem, & ad huius vel illius regionis & Prouinciæ symbola in nummis obuia pertinent. Situm urbium bene nosse non prodest tantum sed summe etiam necessarium est in antiquioris Geographiæ studio, cum multæ sint vrbes, quæ vnum idemque nomen habuerunt, vt ex Strabone, Plinio, Ammiano & Appiano discimus. Quantam hæc Homonymia pariat difficultatem, norunt, quotquot in hoc literarum genere sunt versati. Vt dictis fidem adstruamus, liceat ad exemplum illud prouocare, quod exstat apud LIEBIVM Gorthæ numar. p. 308. vbi ex Appiano docetur, nouem fuisse vrbes, quæ nomen habuerunt Seleucia. Sic quoque ex Strabone discimus



fecimus, decem vrbibus nomen Nysæ fuisse commune, obseruante Ez. SPANHEMIO in secunda ad ANDR. MORELLIVM Epistola. Quæ cum ita sint, sapius parum certi essemus de vrbe ad quam hic vel iste nummus pertineat, nisi nomini eius, quod cum aliis commune habebat, tales in nummis adiuncti essent characteres, quorum ope quisquis rerum peritus ad maiorem certitudinis gradum perducere potest. Huc referenda sunt symbola Deorum, quorum sollempnis erat in vrbe aliqua cultus. Sic Antiochenorum in Pisidia nummi exhibent imaginem Dei Luni, quo simbolo docemur, ad hanc potius quam ad aliam huius nominis (olim fatis frequentis) urbem pertinere nummos qui hoc impressum habent signum. Cum tamen hac ratione non omni dubitationi fatis prospectum esse videatur, quia huius vel illius Dei effigiem etiam in aliarum vrbium nummis passim occurrere nouimus, certiore omnino characterem constituunt nomina fluuiorum, marium & montium huic vel illi regioni propriorum. Sic in nummis Nicopoleos vrbis Moesiæ expressum videmus nomen Istri fluuii, qui hanc urbem alluebat; quo indicio omne remouetur dubium. Cum enim nummi isti inscriptionem habeant *Νικοπολιτῶν ἐπ' Ἰστρῷ*, fatis certi sumus, cui e pluribus huius nominis vrbibus tribuendi sint. Ad aliam autem eiusdem nominis urbem pertinent nummi illi, in quorum auersa parte legitur, *Νικόπολις πρὸς Μέσον*: hi enim pertinent ad Nicopolin in Thracia sitam. Sic quoque in nummis distinguuntur quatuor vrbes, quibus omnibus Antiochiæ commune fuit nomen. Vna quæ in Cappadocia sita erat, dicitur *Ἀντιόχεια πρὸς Σάρον*, a Saro huius regionis fluuio ita cognominata. Altera quæ ad Euphratem si-



ta erat, ubi iste fluuius Taurum montem alluebat, dicitur in nummis *Ἀντιόχεια πρὸς Εὐφράτην* aut *ἐπὶ Ταύρου*. Alia eiusdem nominis urbs in Caria sita Mæandri, haud ignobilis Cariae fluuii, nomine adposito in nummis dignoscitur. Alia denique, quæ Metropolis erat Syriæ, in nummis vocari solet *Ἀντιόχεια πρὸς Δάφνην*, nomine a suburbio & luco istius urbis petito. \* Quæ iam dicta sunt, ostendere poterunt, quam exacte urbium situs e nummis cognoscendus sit, & quantopere Geographiæ veteris studium per Numismata Regum ac populorum adiuuetur. Cum autem sola nominum cognitio non sufficiat, fini meo nondum satis esse factum existimo. Reliquum est vt ostendatur, hanc nummorum speciem vtilitatem suam quoque præstare in cognoscendis illis quæ huic vel illi urbi aut regioni fuerunt propria. Et huc quidem spectant symbola in nummis Regum & urbium satis frequentia, quæ vel ad soli felicitatem & fertilitatem, vel ad certas quasdam herbas aut feras quibus regio quædam abundabat, se referunt. Horum cognitio non solum ad iustam nummorum explicationem, sed etiam ad orbis antiqui noticiam, immo quoque ad Historiæ naturalis scientiam amplificandam egregie adhiberi potest. Sic Crocodilus, & Lotus (herba lili formam in nummis referens) solent esse Aegypti symbola; Balauustum seu flos mali punicæ Rhodiorum est insigne; Lafferpitium, cyrenaicæ regionis præbet indicium, vnde etiam Silphium cyre-

C

cyre-

\* Occurrunt etiam nummi cum Inscriptione *Ἀντιόχειαν τῶν ἐν Πτολεμαίδι*, qui vel a ciuibus Antiochiæ Syriæ inter externos negotiorum causâ versantibus, vel a Ptolemaidensibus iure ciuitatis cum Antiochenis coniunctis percussi videntur.



cyrenaicum dicitur; Dictamnium Cretenſium nummi exhibent; Aegypti fertilitatem, Nilus, Siciliae autem, duae vel plures ſpicae, indicant; vini nobilioris abundantiam in Maronitarum aliorumque nummis vna exprimit. Ibis in Aegyptiorum, cuniculus in Hiſpanorum, equus in Panormitanorum, murex in Tyriorum nummis potiſſimum occurrunt. Haec pauca e multis quae memoria ſuggererat, elegimus, ut appareat, quam egregia etiam hoc reſpectu ſit nummorum a Regibus & urbibus percufforum utilitas, quae eo maior eſt, cum ex vnica horum nummiſmatum ferie aut collectione facilius & ſuauius quam ex multis voluminibus diſcamus, quae fuerit huius aut illius prouinciae vel urbis fertilitas & praetantia.

Nec minus huic nummorum ordini praecipua debetur laus, ſi ad Mythologiam reſpicimus. Qui totam Deorum Dearumque familiam ſcire voluerit, nummis Regum & populorum aegre carebit. Exhibent enim nobis effigies & nomina Deorum, quos in aliis rarius aut nunquam deprehendimus. Exemplo ſint Alabandus, Alabadenſium Deus, Aſtarte ſiue Dea Sidonia, Diana pergaea, Hyblaeta, Adranus, Iupiter caſius & labradenſis, Deus Lunus, Dii Cabiri &c. Horum omnium vel nomina ignoraremus vel figuram, niſi haec ingenua Antiquitatis monumenta de illis teſtarentur. Sed ne deorum quidem, eſſi facis magno, numero contineri potuit veterum ſuperſtitio, quae tanta fuit, ut etiam Imperatoribus eorumque coniugibus & liberis diuina tribuerint nomina & decora, qualia praecipue in nummis populorum frequenter occurrunt. Quanta fuerit adulationis vis aut inſania, inprimis oſtendunt ſuperbi tituli, quibus Imperatores & Reges in huius generis

generis nummis ornantur. Nunc enim nudo Deorum nomine insigniuntur, nunc *Reges, Regum Saluatores, Diuo Patre nati, Mithrae f. Soli coeui, Victostrarum gloria illustres, benefici, pii &c.* vocantur ii, qui nec a Natalium splendore, nec a virtutum gloria commendari meruerant. Plura de his adicere spatii angustia prohibet.

Quæ iam de præcipua nummorum, quos Regum ac Populorum dicimus, vtilitate exposita sunt, vim quandam vt puto, habebunt, vniuersum rei nummaria antiquæ studium commendandi. Argumenti quidem foecunditas maior fuit, quam vt paucis comprehendi poterit pagellis, lætabor tamen, si succincta hac commentatione effecero, vt elegantiorum literarum cultores cupidine accendantur, non eorum tantum, quorum insignem vtilitatem probandam mihi sumsi, nummorum, sed reliquorum etiam qui antiqui dicuntur, plenior sibi comparandi cognitionem. Hæc autem cum difficilius obtineri possit, nisi oculorum accesserit iudicium, faustis sane auspiciis Academiae nostræ peculium nunc factum est Numophylacium a b. Parente meo, eius olim possessore, *Schulzianum* dictum, quod ex singulari munificentia & liberalitate Vir Ill. AVG. FRID. EICHEL, dum viueret, Serenissimo ac Potentissimo Borussorum Regi, Patri Patriæ Felicissimo & Optimo, a consiliis intimis, Vir belli & pacis tempore de patria egregie meritis, sollemni vltimæ voluntatis formula Academiae regiae *Fridericianae* vrbis consecrari iussit. Tam exoptatum splendidumque decus gratulor Academiae nostræ, cuius gloriam per omnia secula perennem esse, fausta que plurima illi ex voto contingere iubeat Deus T. O. M. Cum vero hæc nummaria supellex publicæ vtilitati, laudabili exemplo, nunc consecrata sit, impium esset, huic fini promouendo non inuigilare. Sapientissime itaque iusserunt Illustrissimi Proceres, quibus Academiae no-



stræ salus a Serenissimo Potentissimoque Rege commissa est, vt lectio-  
nes in vsum eorum qui rei nummariae antiquae utilitate commoti eius  
addiscendæ cupiditate flagrant, instituerentur. Hac Spartha clementis-  
sime mihi demandata has lectiones ineunte proximo Semestri, Deo ad-  
iuuante, auspicabor, omnemque dabo operam, vt meo officio, si non fa-  
tisfecisse, tamen pro virili defunctus esse videar. Ducem sequar  
b. Parentem, cuius libellus germanico idiomate olim conscriptus & duo-  
bus abhiac annis sub titulo, *Anleitung zur alteren Münzwissenschaft*,  
a me editus prostat in Bibliopolio Orphanotrophei. In ex-  
plicando libro isto, qui succincta methodo potiora græcæ & ro-  
manæ Antiquitatis capita ex nummis illustrat, ita versabor, vt non  
modo præstantissimos in hoc eruditionis genere Scriptores, quotquot  
ad manus fuerint, Generosissimorum Auditorum oculis subiiciam,  
sed nummos etiam, consentiente Amplissimo Senatu academico, vi-  
dendos exhibeam. Cui instituto vt bene cupiant, qui elegantio-  
rum literarum amore tenentur, precor. De hora laboribus hisce con-  
secranda cum illis qui nomina sua apud me profiteri voluerint, consi-  
lia inibo. Domicilium, propediem mutandum, erit in ædibus Do-  
minæ a Raschau ad plateam quæ dicitur die Rannische Straße, sitis.  
Dabam in Acad. Fridericiana d. xx. April. MDCCLXVIII.







ULB Halle

001 516 159

3



56









DE 1768  
**PRAECIPVA** 3  
**NVMISMATVM QVAE REGVM**  
**POPVLORVM ET VRBIVM**  
**VOCANTVR, VTILITATE**

**P R O L V S I O**

QVAM

**PRAELECTIONIBVS**

IN VSVM EORVM

QVI REI NVMMARIAE VETERIS AMORE

TENENTVR

**AVCTORITATE PVBLICA INSTITVENDIS**

PRAEMITTIT

**IOANNES LVDOV. SCHVLZE**

GR. ET OO. LL. P. P. O.

**HALAE,**

TYPIS BEYERIANIS MDCCLXVIII.